

Nicolaus Schütze Theodor Dethmar

De Collatione Bonorum

Rostochii: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731831721>

Druck Freier  Zugang



Güterverteilung auf Erben

R. U. jur. 1638.

Schütze - Veltmer. 1a

QUOD DEUS FELIX FAUSTUM.
QUE ESSE JUBEAT

109

De

COLLATIONE BONORUM

Magnificæ & Amplissimæ Faculta-
tis Juridicæ autoritate & consensu in in-
cluta ad Varnum Academia

SVB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi
DN. NICOLAI Schützen / J. U. D.

& Cod. Professoris Publ. Præce-
ptoris & Promotoris sui omni observan-
tiæ cultu nunquam non prosequendi

Positiones hasce

Publicæ disquisitioni subijcit

THEODORUS Dethmar / Osnabr,
Westph. A. & R.

Ad diem 23. Maj.

In Auditorio majori


Horis matutinis.

ROSTOCHIA

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typograph.
ANNO M DC XXXVIII.

1038





PROOEMIUM.

Placida est & memorabilis Jcti nostri Pauli sententia, quam lib. 15. quæstion. scriptam reliquit. In omnibus quidem (inquit) maxime tamē in jure æquitas spectanda est. l. 90. ff. d. R. J. Cum itaq; æqualitas quam suggerit Æquitas l. 1. in princ. ff. de Collat. sit pacis & tranquillitatis alitrix, inæqualitas verò seditionis & litigij mater, leges nostræ in omnibus societatis politica actibus, cum primis in familiæ erciscundæ judicio æqualitatem accurratè servari voluerunt. Hanc ob causam ut Prætor mitigaret injuriam, quam emancipati ad bon. possess. contra tabb. admisi in potestate existentibus inferebant, adinvenit Collationis beneficium, & emancipatos communem hereditatem æqualiter appetentes, non aliter bonorum paternorum participes esse voluit, nisi collatis in medium bonis suis. Licet autem hac Collationum doctrina ob constitutionum varietatem sit perplexa, & varijs Interpretum quæstionibus non parum intrisata, tamen cum de illa forensis consuetus sit frequens, ut judicia cotidie testantur, hanc orationem veritatis inquirenda amore proponere, & subjectas Theses sub amica Disputationis incudem revocare placuit. Quod dum facere aggredior, Te summam Universitatis hujus effectore ac gubernatore, sine quo nihil unquam comode geri potest Novell. 164, de hered. in pr. simplex oro, ut cæptis hisce meis aspirare, & clementi gratia tua mihi adesse velis, quò Te Duce veritatis & justitiæ metans contingere valeam.

POSITIO. I.

DE utilissima Collationum materia placidam Collationem instituturi eam definimus bonorum propriorum cum hereditate parentum commixtionem, æqualis ac legitimæ divisionis inter coheredes servandæ causâ factam.

II.

Bona propria in collationem venire diximus *l. 1. in pr. & §. 10. & 11. ff. de collat. bon. l. 6. C. eod. tit.* nam si sint bona communia, non sunt conferenda, sed potius dividenda *l. filia 12. C. h. t. l. certum C. famil. ercisc.* si sint aliena sunt deducenda *l. 6. C. h. t.*

III.

Diximus in definitione Legitimæ i. e. legibus approbatæ, nam collationis obligatio est inventum legis ex quadam æquitate contra communis regulas. 2. Diximus Legitimæ, quia in ratione Collationis ineunda attendendæ sunt portiones hereditariæ *l. 19. l. 17. circ. fin. C. h. t. l. si filia nupta ff. famil. ercisc.*

IV.

Collatio à Præatore primùm est introducta; verùm cum angustis admodum circumscriberetur cancellis, utpote ad solos emancipatos primò directâ, *l. 1. in pr. h. t.* Imperatorum constitutionibus postea aucta est. *d. l. 1. b. t. l. 17. l. 19. l. 20. C. eod. tit. Nov. 18. c. 6.*

V.

Conferre tenentur descendentes inter se parentum defunctorum bona participare volentes *l. 17. & l. 19. C. h. t. l. 1. in pr. ff. h. t.* Nec interest, sive ex testamento, sive ab intestato succedant. *Nov. 18. c. 6. auth. ex testamento C. h. t.* quod olim secus erat *l. 3. l. 8. de dot. collat.*

VI.

Præcipuè autem Emancipati suis & in potestate existentibus, ea quæ in bonis habuerunt eo tempore, quo pater fati munus implevit, conferre coguntur. *l. 1. in pr. & §. 3. & 4. & tot. tit. ff. h. l. 6. l. 9. l. 11. C. eod.*

VII.

Pari ratione liberi qui per Imperiale rescriptum & oblationem precum, per legis auctoritatem sui juris effecti sunt, collationes facere jubentur. *l. 18. C. de collat.*

VIII. De

VIII.

De Emancipatis an sibi invicem conferant non ita expeditum est. Nos distinguimus inter dotem, donationem propter nuptias, & reliqua bona adventitia, ut hæc à collationis onere eximantur, illa verò omnino conferantur *l. 9. C. h. t. l. 17. C. h. t. l. 2. §. si tres. l. 3 §. 2. ff. eod. ne emancipati meliori fruantur conditione quam sui, qui tam dotem quam ante nuptias donationem conferre coguntur. d. l. 17. C. h. t.*

IX.

Liberi quoq; qui in adoptiva sunt familia, conferre coguntur, sed ita, ut non ipsi, sed illi qui eos habent, conferant, *l. 2. de dot. collat. junct. l. 8. §. in adoptionem datos. ff. de bonar. possess. contr. tabul.*

X.

Unde etiam si quis filium habeat sui juris, & ex eo in sua potestate nepotem, qui patris sui emancipati successionem appetat, avus eo nomine ad collationem erit compellendus *l. 5. b. t. l. 4. ff. de conjung. cum emancip. liber.*

XI.

Nepotes non tantum sibi invicem, sed etiam patruis, amitis, avunculis, materteris, conferre tenentur *l. 1. §. 17. & 18. ff. de conjung. cum emancip. liber. l. 19. l. 20. §. 1. C. de collat.* Nam cum representent suos parentes §. cum filius *6. inst. de hered. que ab intestat. deser.* non immeritò conferunt, & eis vicissim conferendum est.

XII.

Tantum de liberis & descendantibus. Ulterius jam quaeritur, an inter ascendentes, si illis delata sit hereditas, collatio locum habeat? Nos à negantium partibus stamus, ob duas potissimum rationes. 1. quia collationes in gratiam descendantium sunt inventæ, neq; Præto rem ulla alia ratio vel æquitas movisse videtur, quàm singulare suorum heredum commodum, quæ omnia in ascendentibus cessant. Parentibus enim successio, nisi turbato ordine mortalitatis non defertur. *l. nam & si parentibus, ff. de inoffic. testam. 2.* quia de his nihil in jure cautum reperimus, cum leges omnes loquantur tantum de descendantibus, non ascendentibus. Proinde etiam cum Collationum materia sit exorbitans, ultra leges non est extendenda *l. 19. C. h. t.*

XIII.

Idem obtinere dicimus in Collateralibus arg. *l. 3. §. 1. ff. de legat. præst. & heredibus defuncti extraneis qui ob injuriæ vel indignitatis rationem hic cessantem à collationis onere eximuntur l. ult. C. Commun. utriusq. indic.*

XIII.

De jure veteri, ut collationi locus esset, requirebatur, ut successio fieret eodem, non diverso jure, ab intestato, non ex testamento *l. 1. l. 7. & l. 9. C. h. t. l. 6. l. 7. ff. de dot. collat.* Hodie verò nihil interest, si eodem, si diverso jure, si ex testamento, si ab intestato succedatur, nisi testatorem Collationem expressè prohibuisse constet *Nov. 18. c. 6. auth. ex testamento. l. 9. l. 17. l. 20. C. de collat.*

XV.

Requiritur autem, ut remissio Collationis fiat verbis expressis è quibus mens & voluntas testatoris aperte colligi possit; cum in dubio collationem prohibuisse non præsumatur *arg. l. 39. §. 1. de legat. 3. Bach. ad Trontl. vol. 2. disp. 17. th. 4. lit. c.*

XVI.

Hinc etiam decretum curiæ Parisiensis extat, ut filia bona patris defuncti cum fratribus dividere volens, dotalem conferat pecuniam, vel eam inferendo, vel minus accipiendo *l. dotis C. de collat. Costal. ad l. 20. ff. famil. eriscund. ad eod. ut licet à patre in testamento, sine ulla remissione conferendæ dotis factâ, in longè minori portione instituta sit, quam reliqui liberi, dotem nihilominus conferre cogatur. per auth. ex testamento C. h. t. Nov. 18. c. 6. Fac. l. fin. §. 4. C. de admin. rat.*

XVII.

Visis jam & consideratis personis inter quas locum obtinet jus collationis, ordine succedit materia circa quam versatur collatio. De jure veteri emancipati suis non solum profectitia, sed etiam adventitia conferre tenebantur *l. 1. §. 17. & 18. l. 2. in pr. ff. h. s. Cujac. in x. C. hic.* Jure verò novo constitutum, ut tam à iur. quam emancipatis conferantur saltem res propriæ, quæ ab illis, de quorum hereditate agitur, provenerant *l. 4. l. 17. l. 19. C. h. t. auth. ex testamento C. h. t. Cujac. lib. 3. obs. 30.*

XVIII. Ne

XVIII.

Nec interest, si res sint corporales, siue incorporales, ut sunt actiones & nomina, quæ pari ratione in communem hereditatem sunt conferenda l. 2. §. 4. & ibi Accurs. ff. h. t. Azo in summ. C. de collat. Duaren. cap. 2. ff. de collat. bonor.

XIX.

Excipe tamen legata quæ sub conditione relinquuntur, & injuriarum actiones, quæ vindictæ magis quam pecuniæ persecutionem continent l. 2. §. 3. & 4. ff. de collat. bon. Duaren. d. l.

XX.

Dotem & donationes propter nuptias, si à parente proficiunt, omnino conferendas esse, non dubitamus l. 1. & t. t. ff. de dot. coll. l. si pater l. dotis. l. filia licet. l. filia dotem. l. 17. C. b. t. ant. h. est testamento. eod. Cujac. 3. obs. 30. Gail. 2. obs. 91. n. 6.

XXI.

Non enim præsumitur patrem, qui filiam pro modo bonorum & facultatum suarum dotare tenetur l. 19. ff. de rit. nupt. l. fin. C. de dot. promiss. Mynsing. cent. 5. observ. 32. voluisse dotem filia esse præcipuam, cum in necessitatibus nemo liberalis existat, nec donare videatur l. rem Legatam 18. in fin. ff. de adimend. vel transfer. Legat. l. 21. ff. de donat. inter vir. & uxor. Wesembec. in π. ff. de collat. dot. num. 1.

XXII.

De jure Saxon. liberi emancipati seu separati hereditatem parentum appetentes, mediante juramento, bona à parentibus accepta conferre tenentur. Landrecht lib. 1. artic. 13. ubi ita constitutum legitur: Wollen die Kinder nach des Vaters oder Mutter Todt ihr Erbtheil ansprechen / so muß der abgesonderte Bruder / oder berathene Tochter in die Theylunge bringen mit ihrem Eyd alles das Gut / damit sie abgesondert waren / ob es fahrende Habe ist / wo es aber ander Gut / daß sie beweisen mag / da mögen sie nicht fürschweren / 16.

XXIII.

Quod si filia dotem non habeat salvam, collationis oneri eximitur, nisi maritus ejus sit locuples, à quo dotem facile servare possit, vel nisi marito vergente ad inopiam dotem petere neglexerit.

git. Si vero illa non fuerit in culpa liberabitur conferendo actiones, etiam si sint inanes *Nov. 97. c. 6. auth. quod locum C. h. t.*

XXIV.

In dotis verò collatione impensæ necessariæ, cum ipso jure dotem minuantur. *l. 1. §. 2. l. 15. ff. de impens. in res dotal. fact. detrahuntur, cætera non item l. 1. §. 5. ff. de collat. dot.*

XXV.

Habetur hic etiam ratio usurarum: nam si filia, quæ soluto matrimonio dotem conferre debuit, moram in conferendo commiserit, viri boni arbitrato cogetur usuras dotis quoque conferre *l. 1. §. 1. ff. de dot. collat.*

XXVI.

Reperiuntur tamen casus nonnulli, quibus cessat dotis collatio. 1. Si pater illam non voluerit conferri. *Nov. 18. c. 6. auth. ex testamento C. de collat.* 2. Si filia dote sua contenta, à bonis paternis se abstinereat *l. ult. ff. de collat. dot.* quo casu dos data non tantum apud maritum remanebit, sed & promissa à fratribus exigetur *l. fin. ff. de dot. collat.* 3. Si pater inter liberos diviso omni patrimonio, longè amplius filio quàm filiæ reliquerit, *l. 39. §. 1. ff. famil. eris. fund. & Collat. ad d. l.*

XXVII.

Sumptus à patre in convivium & festivitatem nuptiarum ipsorum filiorum vel filiarum impensi, cum ad honorem & existimationem patris pertineant. *Bar. in l. 1. §. nec castrense n. 9. de collat. bon.* Collationi non subjiciuntur per *l. 1. §. 16. ff. h. t. Wesenb. in 1. de collat. dot. n. 3.*

XXVIII.

Sed an filia mundum seu ornatum muliebre, & res preciosas, quas tempore celebratarum nuptiarum à patre accepit, conferre teneatur, controversum est inter Dd. Nos distinguendum putamus inter vestes in usum quotidianum datas, & inter preciosas, festivas & solennes, ut hæc, cum sint additamenta dotis, conferantur, *arg. l. 25. de pecul. l. 53. ff. de donat. int. vir. & uxor. l. 26. §. 2. ff. de pact. dotal. Gail. 2. obs. 91. n. 5. Coshman. consil. 3. vol. 1. n. 44. & 47.* illæ verò, cum alimentorum appellatione contineantur, in collationem non veniant, *l. 6. ff. de aliment. & cibariis legat.*

XXIX. Ea

XXIX.

Et quæ pater pietatis intuitu, animo donandi liberis dedit, ut si pro redemptione filij ab hostibus vel latronibus capti λύτρον persolvat, non conferuntur *l. Neseinius 34 ff. de negot. gest. l. 15. C. de negot. gest. l. 17. C. de postlim. revers.* Illa verò quæ pater pro pœna delicti à filio commissi solvit, collationem desiderare, rectè cum *Dd.* affirmamus.

XXX.

Sumptus quos pater filio studiorum causa peregrinè agenti subministravit, in familiæ erciscundæ judicium neutiquam venire arbitramur *l. 50. ff. famil. ercisc. l. 6. §. 5. ff. de Carbon. edict. l. 1. C. qui atat. vel profess. se excus. nisi filius eos sumptus in pravos usus expenderit arg. auth. quod locum ibi q̄, egregiè Bartol. C. de collat. aut pater filij bona castrensia vel quasi administraverit l. 34. ff. de negot. gest. l. fin. de petit. heredit. tum enim in dubio præsumitur partem sumptus suppeditasse de ipsius filij bonis arg. l. 43. §. 1. ff. de admin. tutor. Schneid. ad §. quadam actiones inst. de action. n. 43. aut deniq; nificredendi animo pater filio sumptus ad studia subministrasse probetur *l. 50. ff. famil. ercisc.**

XXXI.

Idem dicimus de expensis, quas pater dignitatis nomine filio suppeditavit, ut Doctoratus, Licentiæ vel Magisterij gradu decoraretur. Nam cum tales impensæ in bonorum quasi castrensiurum rationem incidant, collationis oneri non subjacent *l. 1. §. 16. ff. h. t. Sicbard. ad l. 18. C. famil. ercisc. Wesenb. in π. ff. de collat. dor. n. 3. Schneid. ad §. quadam actiones. Inst. de action. n. 45.*

XXXII.

Quæri hoc loco etiam solet, an idem statuendum de sumptibus quos pater filij nomine pro dignitate Ecclesiastica, aut Canonicatu impetrando erogavit? Quod sub distinctione affirmandum putamus, arg. *l. 32. §. 2. C. de inoffic. testam. §. l. 1. §. 16. ff. h. t. & ibi Dd.*

XXXIII.

Libros quos pater filio studiorum causa comparavit, cum illi non minus necessarij sint ad excolenda studia, quàm ceteræ expensæ, in communem hereditatem non esse adducendos existimamus *l. 4. C. famil. ercisc. l. 17. C. de donat.*

B

XXXIV. Nec

XXXIV.

Nec distinguimus hic eum *Schneid. ad d. S. 20. in ff. de action. n. 70 & seq.* an pater filio libros tradiderit, vel non; & quum eos filij nomine, vel proprio emerit. Nos sufficere putamus, ut probetur libros in usum filij esse comparatos *arg. l. filia. 18. C. famil. ercisc.*

XXXV.

Eo usq; verò sumptus, qui filio studiorum causa in Academijs degenti, sive in alimentationem, sive in docentium honoraria, sive in peregrinationes, sive in alias causas necessarias & probabiles, (cujusmodi multæ Studioso occurrunt) veniunt erogandi, è communi hereditate solvendi sunt, donec pater fuit in visis. *l. 5. C. ad Senatufc. Macedon.* Hoc tamen restringendum erit ad sumptus quos pater probabiliter subministrasset *arg. l. 7. § 13. ff. ad Senatufc. Macedon.*

XXXVI.

Patre è viventium numero sublato, frater fratri de communibus bonis sumptus ad studia necessarios suppeditare non cogitur *arg. l. 15. ff. de munerib. & honor. junct. l. 7. § 2. ff. de decur. l. 21. § 2. ff. ad municipal. l. 20. § 6. ff. famil. ercisc.*

XXXVII.

Bona adventitia, quæ filius laboribus suis, vel ex alia aliqua causa sibi acquisivit, collationem hodie non admittunt *l. fin. C. h. 1. Cujac. lib. 3. obs. 30.* An verò fructus adventitorum bonorum, si quos filius perceperit, veniant conferendi, inter Dd controvertitur. Nobis affirmativa placet, *per l. 9. C. famil. ercisc. l. 6. C. de bon. quæ liber.*

XXXIIX.

Castrensia vel quasi castrensia bona nullo modo in collationem venire, juris est manifesti. *l. 1. § 15. ff. h. 1. l. fin. C. eod.*

XXXIX.

Ex quo illud prono quasi fuit alveo, arma & equos filio ad expeditionem militarem datos à collationis necessitate eximi *l. 4. C. famil. ercisc. Wesenb. in w. ff. de collat. dot. n. 3.*

XL.

Eas quoq; donationes, quas aliquis à Serenissimo Principe vel à piissima Augusta est consecutus, ad similitudinem castrensium peculij

peculij collationem non esse subjectas arbitramur l. 7. C. de bon. quæ
liber.

XL I.

De simplici donatione facta filio vel filia, an sit conferenda,
acriter inter juris Interp. controversatur? Nos communiorem d. d.
sententiam sequentes, eam regulariter collationis oneri non sub-
jacere asserimus. l. 13. C. famil. excisc. l. 35. ff. eod. l. 20. in fin. C. de
collat. Wesemb. in w. ff. de collat. dot. n. 2. Treatl. vol. 2. disp. 17. th. 8.
lit. 8.

XL II.

Sequitur forma seu modus in eundæ collationis, qui perfic-
itur vel re ipsa, vel cautione, vel utroq; modo l. 1. §. 11. C. seq. ff.
h. t.

XL III.

Re ipsa fieri dicitur collatio, cum initur ratio collationis de
conferendorum & accipiendorum quantitate d. l. 1 §. 12 h. t. vel
rem ipsam in medium conferendo d. l. 1 §. 11. h. t. vel minus capien-
do l. 1 §. 12. h. t. l. dotis quidem. C. h. t. vel acceptilatione cohere-
dem sibi debitam liberando l. 1 §. 8. de dot. collat. vel nomen pa-
terni debitoris delegando; vel fundum, remve aliam dando, pro
portione bonorum quæ conferuntur l. 1 §. 12. l. 5. C. h. t. Nov. 97. c.
6. vel Compensando &c.

XL IV.

Cautione fit collatio, cum quis datis pignoribus vel fidejuf-
soribus securum faciteum, cui ea fieri debet, de conferendis bonis
l. 1 §. 9. ff. h. t.

XL V.

Utroq; modo perficitur collatio, si quædam dividantur, &
de quibusdam caveatur, ut si quædam lateant in occulto, vel quæ-
dam dicantur non esse in commune redacta: tunc propter incer-
tum cautio erit interponenda. d. l. 1 §. 11. ff. h. t.

XL VI.

Tum autem demum hæc cautio committitur, cum interpel-
latus post aliquod spacium non contulit, vel dolo fecit, quò mi-
nus conferret. Proinde quanti ea res erit, in tantam pecuniam
condemnabitur. l. 5 §. fin. ff. h. t.

B 2

XLVII. Si

XLVII.

Si verò ob egestatem cavere quis non possit: Curator portionis ejus constituitur, apud quem pecunia collecta ex venditione rerum hereditariarum collocetur, ut tunc demum recipiat quod redactum est, cum bona propria contulerit *l. 1. §. 10. ff. h. t.*

XLIX.

Quod si quis neq; conferre, neq; cavere velit, denegantur ei in totum actiones, quæ pro sua portione hereditaria consequenda competunt, donec consilium mutet *d. l. 1. §. 10. & l. 8. ff. h. t. l. 11. l. 12. C. eod.*

XLIX.

Sed quo tempore collatio peragenda sit, quaritur? Regulariter conferendum est post petitam bonorum possessionem *l. 3. in pr. h. t.* Potest tamen etiam ante petitam boni poss. quis conferre si velit *l. 3. §. 5. h. t. l. 13. de condic. caus. dat.*

L.

Si omisâ collatione divisio bonorum hereditiariorum vel per errorem, vel dolum facta fuerit; implorandum erit officium Judicis, ut is conferre nolentem ad conferendum compellat. *l. 1. ff. de collat. dat. l. 8. C. de collat.*

LI.

Finis collationis est, ut servari æqualitas, & liberis æquã lance pariq; modo prospici possit, nisi patris, vel ejus voluntas cui succeditur, diversum suadeat. *l. 17. l. 20. §. 2. C. h. t. Nov. 18. c. 6. Nov. 97. c. 6.*

Atq; hæc de utilissima Collationis materia, pro ratione temporis & instituti breviter proposuisse sufficiat. Faxit Deus ut bonæ nostræ intentioni eventus respondeat.

SOLI DEO T. O. M.
GLORIA,

PARE.

PÄRERGA.
EX JURE CIVILI.

I.

An necessario requiratur, ut res ipsa conferatur, an verò per estimationem collatio fieri possit? Nos eorum sententiæ adharemus, qui rem ipsam regulariter conferendam esse statuunt.

II.

An donatio facta filio à parente, ut in nobilitatem & amplio rem transeat familiam, collationis oneri subjaceat? Aff.

EX JURE CANON.

I.

An filius de jure Canonico renunciatione jurata sibi præjudicare possit, quò minus hereditaria actiones sibi competant? Nos dicimus, ejusmodi renunciationem de jure civili esse invalidam l. 3. C. de Collat. l. fin. ff. de luis & legitim. hered. de jure verò Can. & notoria Germania consuetudine valere, & renunciantem filium obligare affirmamus & quavis de pact. in 6. Sibi Canonist.

II.

An in Nuptiis parentum Concessus de jure Can. sit necessitatis? Aff.

B 3

Ex

EX J. FEUDALI.

I.

An filij succedentes unà cum sororibus in hereditate paterna feudum emptivum conferre teneantur? Neg.

II.

An subvassallus, qui secundo loco beneficium accepit, aperto Feudo illud retinere, & adversus dominum jure se tueri possit, si illi servire & feudum ab eo recognoscere velit? Aff.

EX J. PUBLICO.

I.

An ampliandi imperij studium justam belli gerendi causam suppeditet? Neg. Hinc rectè etiam Hannibal apud Liv. ad Scipionem ita dixisse videtur: optimum fuerat, eam patribus nostris mentem à DJS datam esse, ut vos Italia, nos Africae imperio contenti essemus.

II.

An Stratagematum usus in bellis sit licitus & honestus? Aff.

Ad

AD DN. RESPONDENTEM

Commensalem suum dilectum.

Pulpiri nunc iterum nostri, **DE MARE, ROS ETI**
Scandis, & **ASTRÆ** dulcia sacra facis.
Laudat opus **PALLAS**, decantat **APOLLO** labores,
Ipsa sibi poscit munera plura **THEMIS**.
Da, quæ diva petit; non frustra dona locabis:
Cultores justî pulchra corona manet.

scrib.

HENRICUS Rahne / J. D. Prof.
& p. t. Rector Academiae Rostochæ





Scilicet adversis solet inolare scire *Virtus*;
Victor & evadit pugnando. Quando triumphas
Ignavus? justo quod tu libramine mentis
Aonia decus egregium *De thmare* revolvis.
Ausu magnanimo *Themidis* namq; arma capescis,
Et dura aggrediens, tentas evadere victor.
Si metam captam cursu superare laboras,
Te tuus alma *Themis* magno mactabit honore.

Ita Præstantissimo Dn. Respondenti populari
ac amico suo perdilecto accinebat

Nicolaus Henrich Storck /
Rinth-Westph.







the scale towards document

PARERGA- URE CIVILI.

I.

*riò requiratur, ut res ipsa confera-
r estimationem collatio fieri possit?
entia adharemus, qui rem ipsam re-
endam esse statuunt.*

II.

*o facta filio a parente, ut in nobilio-
em transeat familiam, collationis o-
Aff.*

JURE CANON.

I.

*e jure Canonico renunciatione jura
re possit, quò minus hereditaria a-
petant? Nos dicimus, ejusmodi re-
le jure civili esse invalidam l. 3. C. de
f. de suis & legitim. hered. de jure
notoria Germania consuetudine va-
ciantem filium obligare affirmamus
daet. in 6. Sibi Canonist.*

II.

*ptiis parentum Concessus de jure Can.
Aff.*

B 3

Ex